

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Eilhard Lubin Petrus Boethius

**Disputationum De Veritate Religionis Christianae, Ex P. Mornaei, De Eadem Libro
: Vigesima, Quod Via Salutis Homini A Deo Instituta, Semper Israeli Patefacta
Fuerit**

Rostochii: Reusnerus, 1602

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756649609>

Druck Freier  Zugang



R U. Theor.
Lubinus, Eich.
Disp. de veritate relig.
christianae 1-24.
1602:03.
1601-1602

Contenta:

①	Frid. Crispius, De veritate religionis christiana	I	
②	Dav. Reoxilius, De ver. rel. the.	<u>II</u>	1601
③	Hart. Hallerwodatus, De ver. rel. the.	<u>III</u>	1601
④	Joh. Bucerius, De ver. rel. the.	<u>IV</u>	1601
⑤	Abr. Drentzat, De ver. rel. the.	<u>V</u>	1601
⑥	Th. Frisius, De ver. rel. the.	<u>VI</u>	1601
⑦	Pet. Boethius, De ver. rel. the.	<u>VII</u>	1601
⑧	Boc. Hegius, De ver. rel. the.	<u>VIII</u>	1601
⑨	Dav. Nicolai, De ver. rel. the.	<u>IX</u>	1601
⑩	Joh. Wataham, De ver. rel. the.	<u>X</u>	1601
11	Joh. Vinitor, De ver. rel. the.	<u>XI</u>	1602
12	Wenz. Fabritius, De ver. rel. the.	<u>XII</u>	1602
13	Paul. Fichtius, De ver. rel. the.	<u>XIII</u>	1602
14	Frid. Crispius, De ver. rel. the.	<u>XIV</u>	1602
15	Dav. Reoxilius, De ver. rel. the.	<u>XV</u>	1602
16	Hart. Hallerwodatus, De ver. rel. the.	<u>XVI</u>	1602
17	Th. Frisius, De ver. rel. the.	<u>XVII</u>	1602
18	Wenz. Fabritius, De ver. rel. the.	<u>XVIII</u>	1602
19	Joh. Frisius, De ver. rel. the.	<u>XIX</u>	1602
20	Pet. Boethius, De ver. rel. the.	<u>XX</u>	1602
21	Dav. Nicolai, De ver. rel. the.	<u>XXI</u>	1602
22	Joh. Wataham, De ver. rel. the.	<u>XXII</u>	1602
23	Joh. Vinitor, De ver. rel. the.	<u>XXIII</u>	1602
24	Paul. Fichtius, De ver. rel. the.	<u>XXIV</u>	1602

20.

Disputationum DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ,

*EX P. MORNÆI, DE
EADEM LIBRO,*

Vigesima,

QVOD VIA SALVTIS
HOMINI A DEO INSTITUTA,
SEMPER ISRAELI PATEFA-
CTA EVERIT.

Quam
DEO DVCE ET AVSPICE
PRAE SIDE
EILHARDO LVBINO,

*In alma Rosarum Academia defen-
dere conabitur*

P E T R U S B O E T H I U S
V. Hollatus,

Hora 5° loco consueto.

ROSTOCHII
Exprimebat Christophorus Reusnerus,
ANNO M. D. C. II.

*REVERENDIS ET OPTIMIS
Viris, Integritate, doctrinâ, prudentia, plurima-
rum rerum usu, vigilântiaq; cum primis
spectatis atq; exploratis*

D N. MATTHIÆ CLODIO,
Diœcœseos Itzehoensium Præposito
meritissimo digniss.

N E C N O N

D N. MARTINO CORONÆO
eiusdem Ecclesiæ Diacono vi-
gilantissimo,

V T E T

D N. PAVLO PETRI ECCLESIAE
Simensbergensis in Eiderstadia pasto-
ri dignissimo :

*Dn. Dn. Dn. patrono observandiss.
amico ac fratri devinctissimo
Patruo charissimo*

Hancce Theologicam *oūḡt̄m̄t̄* immotam S.
codicis veritatem redolentem in gratae
memorisq; mentis *πεμπ̄θεσον*
dedicat, consecratq;

*Petrus Boethius Hols.
Respondens.*



ΣΤΝ ΘΕΩ.

DISPVVTATIO VIGESIMA.

QVOD VIA SALVTIS HOMINI A
DEO INSTITUTA, SEMPER ISRAELI PA-
TEFACTA FVERIT, ET MESSIAS
DEVIS ET HOMO ESSE DEBVERIT.

I.

VNum verum Deum in Israele ex præscripto Verbi
Dei colendum fuisse hactenus probatum est; Re-
stat tertia Religionis nota, ut doceatur in illa unica
ad salutem via; sine quâ omnis Religio vana.

2. Quam necessaria sit hæc nota, patet. Cum n.
homo hic Deum colere debeat, ut in altera Deo fruatur; & ab il-
lo ob lapsum infinitè absit: nisi hæc via quâ Deo rursus junga-
mur, adsit, superest nobis extrema desperatio.

3. Religio enim cum nobis Deum verum, tum reis judicem
monstrat. cum verbum Dei, damnationem ex lege ostendit, cui
nemo obtemperat. Et hucusq; religio vanitas & damnatio, nisi
venia accedat, quæ denuo nos Deo jungat: quæ cum homo fru-
stra non sit conditus, neq; religio homini tam profundè impressa
frustra sit, necessario à Deo procurata est.

4. Primus n. parens ex bono suâ culpâ malus & miser evasit.
Hanc malitiam & miseriam hereditariam nos posteri nostris pec-
catis accumulamus & aggravamus; peccatis inquam infinitis in
infinitam Dei maiestatem commissis, & infinitas ob id pœnas
promerentibus.

5. Has pœnas neq; pura misericordia, neq; pura justitia Dei
potuit aut debuit tollere. Illa n. hanc evacuaret, hæc autem ho-
minem ubiq; cum mundo absumeret. Vtraq; ergo juncta satis-
factionem inter Deum & hominem, sine qua vacuum quasi in
mundo daretur, inveniat oportet.

6. Hanc verò infinitam pœnam & culpam neq; homo mun-
dum, qui finitus, & à Deo homini datus, offerens; neq; seipsum,
qui Deo inobediens; neq; angelus solverit, qui quicquid est jam
ante Deo debet Relinquitur ergo ut Deus inter misericordiam
& justitiam suam interveniat, & quod creavit recreet; Filius nem-
pe æter-

pe aeterni patris Sapientia, quâ mundus creatus est. & quo media-
tore & homo & mundus alias à principio ipsius lapsus ruitur s-
durat.

7. Cum a. debitum hoc infinitum sit, mediator Infinitus, hoc
est, Deus sit oportet; Cum peccatum morte piandum sit, homo,
ut mori queat, sit oportet, ut ita amissum bonum suo merito
omnibus credentibus partum communicet.

8. Ut ergo Mediator homo esse debuit, ut merita eius homi-
ni applicari possent; Sic quia peccatum tollere debuit, sine pec-
cato, more non humano concipi & nasci debuit, quod utiq; crea-
tor facile potuit.

9. Hanc Mediatoris Dei hominis pro homine satisfacientis
necessitatem videntur Ethnici cognovisse. Vnde hominem pro
peccatis omnium immolabant At sceleratissimum; Qui cum ira-
tum Deum haberet, illum alijs placare non poterat. Vnde Julianus
Æsculapium suum Deum hominem (si Dijs placet) Salvato-
rem incarnatum esse venditat; quem malum hominem & Dæmo-
nem fuisse probavimus ante.

10. Rectius omnibus Porphyrius, qui hominem nisi à malis
purgatum Deum videre posse negat. Purgari verè posse, neq; ar-
tibus & scientijs, neq; Theurgiā aut Magiā, neq; Iovis aut Solis
mysterijs: cum hæc paucorum hominum sint; purgatio a. hæc ad
omnes pertineat: Sed per sola Principia fieri posse, per quæ per-
sonas & Hypostases in Deo, Patrem, Mentem, & Animam Mundi
intelligit (Quæ à Chaldæis didicisse videtur) & quam purgandi
rationem in nullâ Philosophorum sectâ extare testatur.

11. Restat ergo ut ab initio mundi hæc in scriptura Sacra sem-
per patefacta fuerit, quod Sacra scriptura statim in fronte fatetur,
dum hominem per peccatum in mortem prolapsum indicat, cui
semen mulieris ipse mediator statim promittitur. Qui cū nasci de-
beret, homo, cū Diabolum domare, Deus necessario esse debuit.

12. Nequen. Messias hic magnus aliquis rex mundanus esse
debuit, aliquot millibus annis post nascitus, suos à corporis ser-
vitute vindicaturus ut Iudæi recen tiores somniant: Reclamant
n. Rabbi Ben Maimon, Cabalistæ, 70 Interpretes, Thargum,
ipsi patres Adam, Enoch, Nohe, Abraham qui tot ærumnas ob
Messiam ad se pertinentem non tolerassent.

Hæc

13. Hæc promissio repetitur Abrahæ, Isaaco, Iacobo in testamento, Vbi per Silo Messiam intelligi fatetur Thargum, Onceilos, Thalmud, &c. non a. regnum externum in Israele denotari, cum ab eo prius sceptrum auferendum sit; sed spirituale in omnium gentium commodum.

14. Idem lex denotat per sacrificia agni Paschalis, vaccæ rubræ, hirci in desertum mittendi, serpentis ænei, quibus figuratè de notatur Messiam suo sacrificio pro omnibus satisfacturum, quibus serpentis morsus lœdere non possit.

15. Nec absurdum tanta mysteria rebus adeò vilibus figurari; cum hoc sine periculo sit & tutissimum, quæ si subliminibus e. g. aliquo electissimo ex toto populo viro, figurarentur, figura homo in rei figurata Messia locum transire potuisset, in signi errore & impietate.

16. Hac promissione se filij Chore, & ipse Moses consolabuntur. Quæ Davidi confirmatur desemine in seculum æternum eterno, de Filio Hodie Genito, in quo benedicendi omnes gentes. Quæ de Salomone eiusq; regno post mortem eius discepto non intelliguntur: Sed de Messia, ut & antiqua Synagoga, & Chaldaeus Paraphrastes explicat. Nec gentes quæ latari jubentur alieno rege Iudeo externo latati fuissent.

17. Præterea Canticum Canticorum tale spirituale regnum & nuptias Messia decantat. Ipsi Prophetæ dum liberationem externam vaticinantur, internam illam animorum à jugo Sathanæ peccati & mortis per Messia subinde Iudeis & omnibus gentibus non per bellum, sed per legem, verbum Dei, Disciplinam instituendam & potissimum inculcant, ut in Esaiâ Michâ videre est, ut Iudei & Paraphrastes Chaldaeus ipse explicat.

18. Quæ Prophetæ testimonia gentes in Ecclesiam inq; Dei gratiam recipendas, & spirituale regnum notant, (De externo regno Cyri longè aliter loquentia) & regem Messiam languore & miseriâ hominum excarnificantum, quem legislatorem, redemptorem, medicum, salvatorem gentium vocant.

19. Eodem ijsdem verbis alij Prophetæ tendunt, licet diversis locis & temporibus scribant. Ieremias regnum David æternum fore prædictit, quod Ezechiel repetit, Vbi per Davidem Messiam

intelligi Thalmud exp̄essē testatur. Daniel dum Idolum à lapi-
de fine manu contritum exhibet, regnum Messiæ extreno pr̄a-
dio desitutum licet, æternū mansurum innuit. cui omnes po-
puli & linguae servitū, in quo peccatum desitum, prophetæ
claudenda sint.

20. Idem repetunt Osea, Ioel, Amos, Michæa, Sophonia, Zacha-
rias, Malachias peccatorum veniam, & regni Satanæ destrucciónem,
conversionē gentium per Messiam futurum denunciantes.

21. Constat ergo tum contra gentes modū purgandi ab homi-
nis lapsu usq; promissum esse; tum contra Iudeos recentes, Mes-
siam spiritalem regem esse, ut Rabbini vetustiores, Chaldae interpretes,
Cabalista explicant. Licet etiam multi recentiores de
Messiæ naturâ, eiusq; adventus fine idem sentiant, quem tradunt,
pro peccatis satisfacturum, amissa restituturum, gentes Iudeis
substituturum, suâ morte animas ab inferno liberaturum, ut Mi-
drasch, Barach, Thalmud, Mose Ben Maimon, & Hecadosch,
docent.

22. At si rex temporalis & Mundanus Messias: ad Adamum,
Abrahamum, Mosen, reges prophetas non pertinebat, qui eum
visuri non essent, & eo ipso infelices fuissent, quibus ipse nihil con-
tulisset, & quibus tamen tantopere prædicatur. Quid? quod scri-
ptura à Mundano luxu nos retrahit.

23. Quin & moriturum Messiam fatentur Iudei (quem tamen
Prophetæ æternū annunciant) eosq; qui eum expečtarunt, vel
contemerunt, in vitam redituros, hos ut invidia tabescant, illos
ut magnificentiam videant, fabulantur, quæ vel pueris ridicu-
la, cum illis recipiendis & satiandis ne mundus quidem nedum
Palæstina satis eiset.

24. Promittitur ergo in scripturis Messias à spirituali servitute
Iudeos & gentes liberatus; quod quia nisi Deus & homo sit,
nequit, & talis haud dubiè in ijsdem promittitur. Nam Adamo
& Abrahamo promissio de semine hominem designat; & caput
Diaboli conterere, & omnibus gentibus efficaciter benedicere,
Deum fore notat.

25. Idem Psalmus innuit. solium Messiæ in seculum futurum
esse, Messiam ad dextram Dei sessurum, Sacerdotem in æternū
futurum

futurum. Et propheta Esaias admirabilem, Confiliarium, Deum fortē, patrem æternitatis, principem pacis, virginis filium, Emanuelē, Iehovam exercituum, Iehovam, id est, Creatoris qui est, nomine ineffabili vocans, idem notat, ut Rabini hæc de Messia Deo-homine exponunt. Ut & facit Ieremias ipsum Iehovam Iustitiam nostram, & alibi æternum seu Iehovam nomen eius, vocans, ut & Thalmud explicat.

26. Iudæos autem Messiam Deum & hominem exspectasse, videre est in Commentario in Psalmos Midrasch, ubi Deum in medio justorum Israëlis fratrem digito indicari posse dicit, & in Cantico, & in Levitico, ubi personalis sponsus & frater vocatur. Et Moïses Hadarsan in Genesim, Deum solutionis precium fore ait.

27. Rectius adhuc Cabalistæ, ubi R. Simeon Ben Iohai Misericordiam Dei corpus assumturam in utero adfirmat, & coronandam in perpetuum, & unum fore cum Iehova ipso. Et aliis Cabalista Peccatum per Messiam abolitum iri, qui sit Dei virtus, Sapientia Spiritu implenda. Et R. Hecadosch ex litteris Hebraicis Iehova Messiam Deum & hominem, Dei & hominis filium, & duabus distinctis naturis unum Christum fore, extruit.

28. Porro Secundam Personam Messiam fore, & carnem assumturam etiam sacræ literæ ingeminant. Nam Siloh de filio Dei explicat Kimhi. Et in Psalmis appellatur. Filius, Primogenitus, hodiè genitus, & alijs nominibus, quæ Abenezra, & Selomoh Ben Iarchi disertè ad filium referunt. Idem ex Esaiâ, Ieremia, Zacharia, ubi Germen Domini & Iehova vocatur, extruitur. Et in Esaiâ, Oseâ, Psalmis ubi Messias Iehova dicitur, Jonathan Verbum Domini explicat. Et R. Simeon Iohai, Misericordiam ab altissima Dei Sapientia procedentem carnem assumturam dicit.

29. Philo Messiam λέγει Verbum Dei futurum disertè tradit. Et verbo Malachiæ de Legato Dei, & Oseâ & Psalmi de facie Dei, Moïse Ben Maimon & Hadarsan Messiam Imaginem æterni patris explicant. Ut & locum Danielis, Lux cum eo, & Genesim 1, Fiat lux, & in Psalmo in lumine videbimus lumen, Rabbi Biba, Hadarsan, Abba, Iohanan explicat de illo qui est Lumen de Lumine. Et Cabalistæ adeo Messiam se ad Deum habere dicebant, ut Anima ad Mentem.

Quod

30. Quod ex nostra stirpe proditurus esset, constat. Semini
n. Adx fuit promissus. Ex virginē autem Esaias prædictis, sine
carnali copulâ ut Rabbi Ioden testatur. Et virginis Israëliticæ
Messiam in uteræ gesturæ nomen R. Hecadosch arte Cabalistica
investigare conatur.

31. Patet ergo à mundi Initio, omni tempore mediatore, Deum & hominem, hominem Deo reconciliaturum Israëli fuisse promissum, Inq; Israëlitica Religione tres illas notas insigne esse, unum D E V M, V E R B U M D E I, MEDIATOREM D E V M H O M I N E M, in nulla alia gente inveniendas.


32. Qui justitiam Dei accusant, quod soli Israëli hæc revelarit, i gnorant eatenus aliquid Bonum & Iustum esse quatenus Deus vult & facit. In Adamo a. promissionem omnibus posteris patefacit & tradit, quorum alij gratiæ Dei acquiescunt, alij ad Diabolum transeunt, qui concionatores pœnitentiæ contemnentes aquis diluvij absorpti sunt.

33. In arcâ servatorum alij promissionem Dei spernentes ultro ad Idolatriam, Diabolum, & Magiam se contulerunt, quos tamen Deus magna patientia tolerat, eisq; mox promissione Abramæ repetitâ in filio suo redditum ad se indulget.

34. Quod si Iustitia Dei exercenda fuisset nec Mundus, nec homo restaret. Quin potius imploranda Dei Misericordia, quæ non merito hominum, sic enim perpetua esset contentio, sed gratiâ sua voluit nasci Salvatorem Omnum, in aliquâ tribu, in aliqua gente ab omnibus contemnâ & spretâ, in pago vili, à qua gente tamen repudiatur & à peregrinis recipitur. Cumq; in sacris Dei gloria, non hominis vanitas queratur, vel sapientissimorum judicio gloriosius nasci non potuit, Mediator inter Deum & homines, Cui æterna laus & gloria. Amen.







ortis fuisse, non, ne crimen detegant, sed ne viriant, ne ipsi quidem hostes Christianorum ne-

tionem illam repentinam, quâ Deorum cultus nt, ad constellationem referunt, quâ mundum c pro diversis cæli imaginibus singulos Plane-
tominari supponunt, quæ vesanorum hominum Syro satis refutata sit, seq; ipsam explodat re-

climatibus tot regiones, urbes, oppida, familiæ, imis sâpe religionibus inibuti, qm insaniâ suam

Cumq; Planeta climatis religionis Iudaicæ ligio in totum orbem disseminata est, proprio

as Planetarum conjunctiones Religiones facere i conjunctiones tantum, alij Iovem tantum, alij Io-
n Chaldaicam, cum ☽ AEgyptiam, cum ☽ Mahu-
â, cum ☽ Antichristianam, Addunt a. magnas medias
interq; se de religionis domo varie contendunt (quæ
ex fio) prius inter se insulsi & insani convenient, an-
postulent.

es à conjunctione Stellarum dependent, cur cum illis
io Christiana tantæ sit durationis, tamq; latè pateat,
nativitatis tempore talem conjunctionem. quod ne-
x Astrologorum somnio sex esse possint Religiones
in una familiâ.

nde Religionis Thema erigere debeant à fine eius
ius, quæ oritur aut deniq; legislatoris ipsius Iesu ge-
ptias suas Christianis intolerabiles satis impie pro-

s hominis Genesi Religio, hoc est tot naturæ, regio-
j, Dæmones, affectus animi & mentis, cum vel ipso-
ion cogant, cum etiam in singulis regionibus aliquis-
t.

contemplationum vanitatem eventus ipse manife-
stianam 360. annos duraturam dixerunt, quam Al-
extendebat, Abraham Iudæus ad 1464, &, suo more

isti per Magiam facta esse contendunt exemplo Si-
yanæi, Appulei Madaurensis. Cum Simon vel eo
is sit, Iesu divinitati concederit. Et cuius Diabolica
rejecta & cum ipso extincta est.

Apol-